



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eadem re. xxiiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

plicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adiectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntate gradientem: quamvis eum tum cum graditur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo si quid providentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam naturam habeat necessitatem. Atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrij libertate proveniunt, præsens contuetur. Hæc igitur ad intuitum releta diuinum, necessaria fiunt per dispositionem diuinæ notionis: per se verò considerata, ab absoluta nature suæ libertate non desinunt. Fient igitur proculdubio cuncta quæ futura Deus esse prænoscit, sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio: quæ quamvis eveniant existendo, tamen naturam propriam non amittunt qua prius quam fierent, etiam non evenire potuissent.

*Quod diuina æternitas, nec fuisse nec futurum esse habeat. Cap. XXII.*

**S**ed quia beatus Iob sancto æternitatis spiritu impletur, *Grego. in* & fuisse vel futurum esse æternitas non habet, cui nimirum nec præterita trāseunt, nec quæ futura sunt veniūt: *suis moribus.* quia cuncta per præsens videt.

*Quod cuncta quæ hominibus fiunt, absque omnipotentis occulto consilio non veniant. Cap. XXIII.*

**N**ulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt, Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante secula decreuit, qualiter per secula disponantur. *Ex eodē.*

*De eadem re. Cap. XXIII.*

**N**ec propheta igitur fallax quia tempus mortis intuit, quo vir ille mori merebatur: nec dominica statuta conuulsa sunt: quia ut ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque quod ante secula præfixum fuit, atque spacium vitæ quod inopinatè foris est aditum, sine augmento præscientiæ fuit intus statutum. *Ex eodē.*

*Quod Deus singulis dies suos præfigat, ut nec minui, nec augeri possint. Cap. XXV.*

**P**ræfixi dies singulis ab interna Dei præscientia, nec augeri possunt nec minui, nisi coningat ut ita præsciantur, ut aut cum optimis operibus longiores sint, aut cum pessimis breuiores, sicut Ezechias augmentum dierum meruit impensione lachrymarum, & sicut de peruersis scriptum est, *Ex eodē.*